

virtute ipsarum et vigore predicti Hinko et Henricus fideles nostri [et f]ideiussores impeti occupari seu arrestari non valeant nec ad quodcumque iudicium penitus evocari. Presencium etc. Datum ut supra.

Nr. 9, 1348 März 20.

Berka de Duba.

[Karolus etc.] quod quia fideles nostri dilecti Hinko Berka dictus de Duba purgravius Pragensis et Henricus frater ipsius nobis de omnibus [bonis, que] tempore clare memorie illustris Wenczeslay quondam regis Boemie avi et predecessoris nostri karissimi ad castrum Besdes [pertinueru]nt, nobis de bona voluntate sua cesserunt, idcirco de specialis nostre celsitudinis gracia promittimus et spondemus ipsos et [heredi]bus¹ penes universa et singula bona sua, que fidelis noster dilectus Hinko Berka senior purgravius Pragensis omnia comparavit et que ad castrum nostrum Besdes non pertinuerunt nec pertinent, gracie dimittere et graciosius con[servare m]andantes universis et singulis capitaneis camerariis etc. Presencium etc. Datum Prage XIII kalen. aprilis.

Nr. 10, 1348 März 20.

Berka de Duba.

[Karolus etc.] et Iohannes dux Karinthie etc. promittimus insolidum sincera fide dilectis nobis Hinconi et Henrico Bercze de Duba, [quod] ad manus ipsorum Swinkoni de Hasenburch fidelibus nostris¹ opidum Cwarar dictum Radusschow in festo penthecostes [proxi]mo a religiosa abbatisa preposito et conventui¹ sanctimonialium monasterii Dogzanensis Pragensis dyocesis emere emptumque ipsis [cum omni]bus pertinenciis bonis utilitatibus fructibus censibus usufructibus censibus libertatibus dominiis et obvectionibus quibuscumque [titulo] proprietario et hereditario assignare dare et tradere per ipsos perpetuis temporibus possidendum, quod si non fuerit infra spacium [festi pre]dicti, extitit² ipsis vel eorum alteri equivalentem pecuniam iuxta estimacionem et taxam predicti Sbinkonis de Hasenburch, [si vero de]cesserit cuiuscumque alterius ipsorum amici nobis grati et accepti, dare et solvere pollicemur. Si vero quod absit neutrum [ambo]rum faceremus,

1) sic. 2) Offenbar irrtümlich.